Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1487
Quelle:
Copyright:

Controverſiarum, quae inter Catholicos et Proteſtantes vertuntur, dicatum a. 1730. *Eliſabethae* Archid. *Auſtr.* pro fratre *Carolo* VI. Imp. *Belgium* gubernanti ab *Stephano Amiodt* e S. J. qui ei a ſacris confeſſionibus fuerat, et ab ejus morte *Viennam* redux octogenario major a. demum 1759. deceſſit, poſtquam ibidem jam olim *Exercitationes theatrales 1709. Germaniam veterem ſelectis quaeſtionibus illuſtratam* 1712. et *Germaniam in Naturae operibus admirandam* 1713. 12. juvenis vulgaſſet. Praeſens porro Opus in *Partes* tribuitur II. quarum prior inſcribitur: *De praetenſis Novitatibus et Abuſibus Eccleſiae Romanae Catholicae*, altera: *Novitates, Abuſus et Errores Eccleſiae Lutheranae*. Quaelibet XI. *Capitibus* definitur, quae in plures vel pauciores §§. pro ubertate materiae abeunt. Ratio tractandi haec eſt, ut quovis §. *Parte* quidem I. Accuſatio, *Parte* vero II. Theſis acatholica proponatur; hanc autem *Animadverſio Catholica* excipiat. Opus eruditum, ſolidum et ita plenum eſt, ut non facile quidpiam eorum, quae in diſceptationem venire ſolent, non diſcuſſum deſideres. Nec te moveat, Librum Virgini latine ſcribi; hac enim lingua, ut verbis *Franc. Wagneri* nequaquam Feminis Principibus adulari ſoliti c. 1. *de Eliſabethae Vita et Virtutibus, Vien.* 1746. p. 11. 8. dicam, *non minus ac viribus literis innutritus caſtigata utebatur*. Voluerat id Auguſta Mater, ut eam puellula adriperet tanquam ad alias linguas condiſcendas perquam utilem. Igitur et poſtea, dum *Belgium* pro Fratre curaret, cum Confeſſario et Medico ſuo non niſi latine loquebatur, *minime*, ut addit *Wagnerus* p. 12. *imitata vanos quosdam homines, qui, quod ignorant, ſpernentes Clericorum duntaxat hanc linguam exiſtimant*. Praeſentis Operis bina praeterea Exempla ſub *NN.* 1158—59. in Bibliotheca Palat. proſtant.

DCXLI.

Codex ſeu potius Collectio R. 1146
Voluminibus XV. 4. conſtans, quondam *Stephani Amiodt* S. J. Presbyteri, qui *Eliſabethae* Archid. *Belgium*, ut Cod. praeced. dixi, gubernanti per 20. annos a ſacris Confeſſionibus fuit *Bruxellis*, plurima complectitur ad omnem Theologiam, Jus canonicum, Politicam, Hiſtoriam praecipue eccleſiaſticam, turbasque ineunte Seculo noſtro ob *Janſenii* doctrinam et Conſtitutionem *Unigenitus* in *Belgis* motas, quorum longum foret, Catalogum hic texere. Indicaſſe ſufficiat earum Controverſiarum Studioſis, cumque in pluribus horum *Voluminum* Manuſcriptis paſſim Impreſſa miſceantur, ea etiam in Catalogum Librorum Impreſſorum Bibliothecae Palatinae relata norint.

DCXLII.

Codex chartaceus lat. belg. Sec. R. 630
XVII. Folior. 35. 4. eſt *Demon-*
ſtratio